

DISTINCTIO VIII.

Sed sicut motus habet speciem & terminis, ita relatio. Ergo cum Christus sit filius Patris, & matris, oportet quod alia filiatione ad utrumque referatur.

5. Præterea. Philosophus in V. Metaph. text. xx. probat, quod scientia non refertur ad scientem: quia cum referatur ad scibile, & hoc sit suum esse in quantum ad aliquid est; oportet, si diceretur ad scientem, quod haberet duplex esse. Si ergo filiatione refertur Christus ad Patrem, & matrem, oportet quod sint duæ filiationes secundum esse.

6. Præterea. Sicut supra, dist. I. Magister dixit, Pater posset carnem assumere. Sed si de Virgine carnem assumpsisset, Filius Virginis diceretur. Non autem referretur ad Virginem filiatione æterna, quia eam non habet. Ergo filiatione temporali. Ergo eadem ratione oportet in Christo ponere filiationem temporalem.

Sed contra. Filiatio est proprietas personalis. Sed in Christo est tantum una persona. Ergo tantum una filiatio.

Præterea. Sicut Christus est Filius Patris, & matris, ita quilibet alius homo. Sed non alia filiatione refertur homo ad patrem, & matrem. Ergo nec in Christo sunt duæ filiationes.

Præterea. Duo accidentia ejusdem rationis non possunt esse in eodem subjecto: unde eadem paternitas homo refertur ad multos filios. Sed suppositum filiationis in Christo est unum tantum. Ergo in eo non possunt esse plures filiationes, sed una tantum.

Præterea. Quodlibet continuum est majus omnibus suis partibus. Sed in quolibet continuo sunt infinitæ partes in potentia. Ergo ad hoc quod aliquid referatur ad diversa per diversas relationes, oportet quod sint infinitæ relationes in aliquo continuo, quod est inconveniens: & iterum quod in quolibet continuo sint tot æqualitates quot rebus æquale est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut in I. Lib. dist. xxxvi. quæst. II. art. 2. dictum est, relatio non habet ex hoc quod ad alterum dicitur, quod sit aliquid in rerum natura; sed hoc habet ex eo quod relationem causat, quod est in re quæ ad alterum dicitur. Et quia ex eo res habet unitatem, & multitudinem ex quo habet esse, ideo secundum id in quo relatio fundatur, judicandum de ea est, utrum sit secundum rem una, vel plures. Sunt ergo quædam relationes quæ fundantur super quantitatem, sicut æqualitas, quæ fundatur super unum in quantitate: & cum unitas quantitatis non sit nisi una in re una, inde est quod per unam æqualitatem est res æqualis omnibus quibus dicitur æqualis. Aliæ vero relationes fundantur super actionem, & passionem; & in istis considerandum est, quod una passio respondet duabus actionibus, quando neutrum agens sufficit per se ad actionem complendam, sicut est in eo qui unitate nascitur ex patre, & matre: unde in patre, & matre sunt duæ relationes secundum rem, sicut & duæ actiones; sed in nato est una relatio secundum rem, secundum quam refertur ad patrem, & ad matrem, sicut & passio una. Item considerandum est, quod quædam relationes non innascuntur ex actionibus, secundum quod sunt in actu, sed magis secundum quod fuerunt; sicut aliquis dicitur pater, postquam ex actione est effectus consecutus: & tales relationes fundantur super id quod in agente ex actione relinquitur, sive sit dispositio, sive habitus, sive aliquod jus, aut potestas, vel quidquid

aliud est hujusmodi. Sed quia hoc quod relinquitur ex actionibus unius speciei, non potest esse nisi unum; inde est quod tales relationes etiam secundum rem non multiplicentur secundum diversas actiones, sed magis sunt unum secundum id quod ex actione relinquitur: & propter hoc non sunt diversæ relationes secundum rem in patre uno qui generat plures filios, nec in magistro uno qui docet plures discipulos. Si autem sint plures actiones secundum speciem, causant etiam plures relationes specie differentes. Unde cum Christus non per unam generationem passivam se habeat ad generationem activam Patris, & ad generationem activam matris, sed per aliam & aliam; & hæc duæ generationes non sint unius generis, nec unius speciei: nihil (ut videtur) impediret quin in Christo possent esse duæ filiationes secundum rem differentes; nisi immediatum subjectum filiationis esset suppositum; quod quidem, secundum secundam opinionem, non est nisi suppositum æternum in Christo. Et quia ex nullo temporali advenit rei æternæ aliqua realis relatio, sed rationis tantum; ideo filiatio quæ consequitur Christum ex generatione temporali, non est realis, sed rationis tantum; & tamen realiter filius est; sicut & Deus realiter Dominus ex hoc est quod creatura realiter refertur ad ipsum. Unde concedo, quod in Christo non est nisi una filiatio realis, qua refertur ad Patrem, & respectus quidam rationis quo refertur ad matrem. Tamen prima opinio, quæ ponit duo supposita, posset ponere duas filiationes; nec tamen poneret duos filios masculines, sed duo filia neutraliter, si Latine diceretur.

Ad primum ergo dicendum, quod nativitas temporalis, sive generatio passiva Christi est quædam relatio quæ secundum rem fundatur in humana natura, & ex hoc nominatur natus, sicut & homo; sed subjectum filiationis non potest esse natura, cum sit ejus quod habet complementum speciei, ut supra dictum est: & ideo duæ nativitates causant duas filiationes, sed unam tantum secundum rem, & aliam secundum rationem.

Ad secundum dicendum, quod Philosophus non accepit esse, secundum quod dicitur actus entis (sic enim relatio non habet esse ex eo ad quod dicitur, sed ex subjecto, sicut omnia alia accidentia) sed accipit esse pro quidditate, vel ratione, quam significat definitio. Ratio autem relationis est ex respectu ad alterum. Unde ex hoc quod Filius Dei refertur ad matrem, non oportet quod habeat aliam filiationem secundum rem, sed alium respectum relationis.

Ad tertium dicendum, quod maternitas posita ponit alium respectum in Christo, & remota remouet illum respectum; sed non oportet quod ponat aliam filiationem realem.

Ad quartum dicendum, quod omnis motus est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio. Ergo quamvis ex terminis multiplicentur respectus relationis, non tamen oportet quod multiplicentur relationes secundum rem, sicut motus multiplicentur secundum rem ex diversitate terminorum.

Ad quintum dicendum, quod respectus scientiæ ad scientem, & ad scibile, non est unius rationis; sed respectus ejus ad scientem inest ei ex hoc quod est accidens, respectus autem ejus ad scibile inest ei ex hoc quod est scientia: unde si referretur, in quantum est scientia, ad utrumque, oportet quod essent respectus diversi secundum speciem. Sed respectus filii ad Patrem, & ad matrem est ad terminos unius rationis: unde non oportet quod sit

QÆSTIO I.

EXPOSITIO TEXTUS.

diversa relatio secundum speciem, neque secundum rem.

Ad sextum dicendum, quod si Pater carnem assumpsisset de Virgine, esset filius Virginis, non quidem per aliquam realem filiationem, cujus suppositum æternum subjectum esset, sed per respectum rationis tantum.

HOC est (1) Deum nasci de Virgine, scilicet, hominem assumere. Verum est, si humana natura dicatur homo; & si assumere dicatur ad se sumere, vel in se: quod divinæ naturæ non convenit.

DISTINCTIO IX.

De adoratione humanitatis Christi: an eadem sit adoratio humanitati, & Divinitati exhibenda.

PRÆTEREA investigari oportet, utrum caro Christi, & anima, una eademque cum Verbo debeant adoratione adorari, illa scilicet quæ latria dicitur. Si enim animæ, vel carni Christi exhibetur latria, quæ intelligitur servitus, sive cultus soli Creatori debitus; cum anima Christi, vel caro, creatura tantum sit, creatura non illa adoratione quæ latria est, carnem Christi, vel animam esse adorandam; sed ea quæ dulia est: cujus duas species, vel modos esse dicunt. Est enim cujusdam modi dulia quæ creaturæ cui libet exhiberi potest; & est quædam soli humanitati exhibenda, non alii creaturæ: quia Christi humanitas super omnem creaturam est veneranda, & diligenda; non tamen adeo ut cultus Divinitati debitus ei exhibeatur: qui cultus in dilectione, & sacrificii exhibitione, atque reverentia consistit; qui Latine dicitur pietas; Græce autem theosebia, id est Dei cultus, vel eusebia, id est bonus cultus. (2) Aliis autem placet Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam, non propter se, sed propter illum cujus est scabellum, cui inest unita. Nec ipsa humanitas sola, vel nuda, sed cum Verbo cui est unita; nec propter se, sed propter illum est adoranda; nec qui hoc facit, idolatriæ reus judicari potest: quia nec soli creaturæ, nec propter ipsam, sed Creatori cum humanitate, & in humanitate sua servit. De hoc Joannes Damascenus ita ait (de Fide orth. Lib. III. cap. viii. prope finem). „Duæ sunt naturæ Christi, ratione, & modo differentes, unitæ vero secundum hypostasim. Unus igitur Christus est Deus perfectus, & homo perfectus; quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto una adoratione cum incontaminata ejus carne, non inadorabilem carnem dicentes (adoratur enim in una Verbi hypostasi, quæ hypostasis generata est) non creaturæ venerationem (3) præbentes; non enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam Deitati, in unam hypostasim Dei Verbi, duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere, propter ligno copulatum ignem: adoro Christi Dei mei simul utramque naturam, propter carni unitam Divinitatem: non enim quartam appono personam in Trinitate; sed unam personam confiteor (4) Verbi, & carnis ejus. His verbis insinuat videtur, Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam. De hoc etiam Augustinus ex sermone Domini, ubi dicit: „Non turberet cor vestrum, ita dicit (serm. lvii. de verb. Domini). „Dicunt hæretici, Filium non natura esse Deum, sed creaturam. Quibus respondendum est, quia si Filius non est Deus natura, sed creatura; nec colendus est omnino, nec ut Deus adorandus, dicente Apostolo (Rom. 1. 25.) Coluerunt, & servierunt potius creaturæ quam Creatori. Sed illi adhuc replicabunt, & dicent: Quid est quod carnem ejus, quam creaturam esse non negas, simul cum Divinitate adoras, & ei non minus quam Divinitati deservis? Ergo dominicam carnem, inmo perfectam in Christo humanitatem, ideo adoro, quod à Divinitate suscepta, & Deitati unita est; ut non alium & alium, sed unum eundemque Deum, & hominem, Dei Filium esse confitear. Denique si hominem separaveris à Deo, illi numquam credo, nec servo; velut si quis purpuram, vel diadema regale jacens inveniat, numquid ea conabitur adorare? Cum vero ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea cum Rege adorare quis contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam, vel nudam, sed Divinitati unitam, scilicet Filium unum Deum verum, & hominem verum, si quis adorate contempserit, æternaliter morietur. Item super Psalm. xcvi. ubi dicit: „Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. „Sciendum est, quia in Christo terra est, id est, caro, quæ sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est; & de carne Mariæ carnem accepit. Hæc sine impietate, à Verbo Dei assumpta, adoratur à nobis: quia carnem ejus nemo manducat, nisi prius adoret; sed qui adoratur, non terram intuetur, sed potius illum cujus scabellum est, propter quem adoratur. His auctoritatibus præmissæ investigationis absolutio explicatur.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam Magister determinavit quid conveniat naturæ divinæ ex unione ad humanam, hic determinat quid conveniat humanæ ex unione ad divinam, quod scilicet adoratur adoratione latriæ. Dividitur autem hæc pars in duas partes. In prima movet questionem; in secunda determinat eam, ubi: Ideo quibusdam videtur non illa adoratione quæ latria dicitur,

carnem Christi, vel animam esse adorandam. Et hæc dividitur in duas partes secundum quod duas opiniones ponit. Secunda incipit, ubi: Aliis autem placet Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam. Et hæc dividitur in tres. In prima ponit solutionem; in secunda respondet ad objectionem factam in contrarium, ubi: Nec (5) qui hoc facit, idolatriæ reus judicari potest; in tertia confirmat solutionem, ubi: De hoc Joannes Damascenus ita ait.

(1) Al. enim. (2) In textu Magistri ex his quæ sequuntur, specialis instituitur paragraphus cum hoc titulo: Aliorum sententia, qui unam adorationem utrique exhibendam tradunt. (3) Nicolai addit Dei. (4) Nicolai addit scilicet. (5) Al. contra hoc facit.